



Gammelbos!

- Dissertaciones et Tractatus  
in hoc Volumine. Exstantes
- 1) De fundo in officio quae sit Praef. d. do. Gottfr.  
Bauer. Resp. Gottlob August Jenisch.  
Lipsciae Apbta.
  - 2) De Seruissimis domus Austriae Praemiu-  
menis. Praemorialibus iuriis ac priori legibus pra-  
cipuis. Et in Specie de August. hinc denun-  
tiatione provinciali. caesareo. Sueriae Praef.  
Gabriel. Schröder. Resp. Joseph Anton Maria Bell.  
Tulinae habita.
  - 3) De adstriae Imperiorum Archicardieletatio.  
Praef. do. Wilh. Wallich nra. Resp. Georg Frider. Lees  
in Tann Marburgi habita.
  - 4) De cura aedalio. Pepp. foeminae mino-  
rennis calinita Praef. d. Gottfr. Wilh. Rinckler.  
Resp. do. Maximiliani Querbach.
  - 5) De statu donacionum inter virum et uxorem,  
d. Just Heinr. Böckmer. Resp. Joh. Fr. Starkmaier
  - 6) De donationibus inter sanguino-saxonicos. monosacrum  
creditorum invallis Praef. Joh. Gottfr. Daniel.  
Kep. M. C. Ros. Franc. Conrad.
  - 7) De charzis usufruicuratio saxonica.  
Pr. Gottfr. Barth. Resp. Gottfr. Chuller.
  - 8) De conditionum causa et potestate Praef.  
Fr. Frider. Bartholdi. Resp. Joh. Fr. Korn
  - 9) De Appellatione in aemnositili Praef.  
d. Gottfr. Wilh. Drucker. Resp. Benjamin. Frider.
  - 10) De depositione Coniugum malitiosa Praef.  
Johannes Stoyk. Resp. Johannes Meyerhoff
  - 11) De non recipiendo letaliitate vulneris Praef.  
F. F. Müller. Resp. Albin Ehrentz. Ulrich

12. De criminis abortu. Ps: Joh: Phil: Stevogl: R: J: auf K: 1.  
 13. De Recusione libroy furtiva. Ps: Rodolphus Turniarius  
 14. De Tortura ex fortis & paucis proscriptenda.  
 Praef: Xystian Thoms: Resp: Marci Bernhardi  
 15. De homicidio a pluribus scismatico Brag: Petri Muller  
 R: David Lofft: Haeggen  
 16. De repetitione tormentorum confessi infirmante  
 Ps: Chich: Hens: Grotius Ps: Jo: Mall: Sibert.  
 17. De renotitiatione s: i: forma iudiciorum  
 criminalium solennium. Antonius  
 d'ono & grossmanni cum conscriptis  
 palae grisei. Q: S: J: Fr: Helle: R: C: M: F: P: O:  
 18. Colm: Alzepaenior. (de delictis  
 carnis)  
 19. De Torturis s: Quaestiones. Vnu die Martis id: Jan:  
 19. Ps: Cappar Zinglar: Resp: Cor: Henr: Over:  
 lach  
 20. Discov: ad L: off de lege Romane de Passim. Ps: von  
 Glen: Mord und das Straffrecht Praef: Arnold  
 Drackenbroch: Resp: N: Coes de Meijer  
 21. 20. De furib: a: poen: Caenii inuenit: Ps: von  
 Wenzelius de Vreden: R: J: C: Georg Adam Simm:  
 22. De Cellerio ex parte reuelacione palestini s: Antonius  
 19. Ps: Eusebius: H: C: Sam: Ric: old:  
 23. De furto periculo: Ps: Georgius graef:  
 24. Ps: Xystian Thoms t: i: de origine Processi inquisitorii  
 et de secessione Inq: i:  
 25. De reuelatione actione ad vocato obsecrationem  
 non potest competere non potest obsecrationem  
 non potest aperte laborare quodlibet: Praef:  
 J: Fr: Tschapnay et: Resp: Sigism: Gottlieb: Muller  
 26. De Communione intridente Praef: ps: Fr: Käffer: Resp: Wilh: Elias  
 27. Et ce que justum est: i:  
 28. Ps: Karl Thaddeus Huber  
 29. De farsi electione Ps: Georg & Paul Gebauer: R: Anton Joseph Lange  
 30. Ap: Regen: summa: i:  
 31. Ps: Antonius: i:  
 32. Ps: Georg: Henr: Mu: Leeser  
 20. De iudee uocante ex officio. R: Iust: Henr: Bochner

4. 81.

DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> IVRIDICA  
<sup>DE</sup>  
**CVRA AETATIS  
NVPTIIS FOEMINAE  
MINORENNIS EXTINCTA**

*QVAM*

ANNVENTE

ILLVSTRI IVRE CONSVLTORVM ORDINE  
PRAESIDE

**D. GOTTLIEB WILHELMO  
DINCKLERO**

IVR. SAX. ET TRACT. CVRS. PAND.  
P. P. ORD.

*D. XXIV. OCTOBR. MDCCXXVII.*

MODESTO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT

AVTOR RESPONDENS  
**IOANNES CHRISTIANVS AVERBACH**  
WEISENFELS.

---

LIPSIAE

LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDII.



DISSESSATIIO IURIDICAY  
CARA AETATIS  
NAPTHIS HOMINAE  
MINORENNIS EXTINCtY  
ILLASSTRJ IAVECONSULTORVM ORDINE  
PRVESIDE  
D GOTTLIEB WILHELMO  
DINCkLIEB  
IAR SAX ET TACt CAVS LUND  
F R GOR  
DTIA QETOBAL DCCVII  
MORSOT TETDITOLV EMMET  
STRETT  
AUTOR RATHORNUS  
IOLVINS CHRISTIANVS AVERBACH  
WISSENtIA  
TITELSBK  
TITELSBK  
TITELSBK  
TITELSBK  
TITELSBK  
TITELSBK

V I R O  
PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
CONSVLTISSIMOQVE  
DOMINO  
IOANNI CHRISTIANO  
AVERBACHIO  
SERENISSIMO DVCI SAXO-  
VVEISENFELSENSI  
A  
CONSILIIS COMMISSIONVM  
CIVITATIS LEVCOPETRENSIS CONSULI  
GRAVISSIMO  
P A R E N T I  
QVOVIS RELIGIOSO OBSEQVII CVLTV  
AETATEM DEVENERANDO

HAS  
TENVES PAGELLAS  
IN  
STUDIORVM TESTIMONIVM  
OBSERVANTISSIMAE QVE MENTIS ARGUMENTVM  
INTER ARDENTES  
PERPETVAE ET OMNIGENAE FELICITATIS  
ADPRECATIONES  
SACRAS ESSE CVPIT  
FILIVS  
ADDICTISSIMVS  
JOANNES CHRISTIANVS AVERBACH.

HONORATISSIME,  
ET  
AESTVMATISSIME DOMINE PARENTS!

**A**ccipe igitur chartaceum illud munus-  
culum, studiorum meorum leviden-  
ses primitias, quas, TUO patroci-  
nio ut offerrem, suadebat sana ratio,  
injungebat honestas, ipsa denique pietas filialis,  
qua me TIBI obstrictum profiteor, strenue ur-  
gebat: Profecto per triennium illud & quod ex-  
currerit, per quod militavi in Musarum castris, ni-  
hil unquam prius, nihilque antiquius mihi fuit,  
quam invenire occasionem, at quam acceptam,  
qua gratificandi TIBI studium, pro ipsis, qui-  
bus me non tam adfecisti, quam cumulaasti potius  
beneficiis, aliqua ex parte demonstrarem: qua  
data

data oblataque , quid quoſo ſuavius contingere  
mihi potuiſſet ? qua propter Eſt avide illam exoſcu-  
lor , Eſt cum mihi per inopiam non liceat , auri ar-  
gentique pondere , ob innumera in me collata amo-  
ris Eſt benevolentia argumenta gratum meum ani-  
mum declarare , hancce tamen diſertationem ,  
ut ut admodum inermem , NOMINI TUO , in  
fidelis memoria tefſeram , consecrare haud erube-  
ſco . Evidem probe novi , hoc ipſo haud ſufficien-  
ter me rependere tot tantaque , quibus me vel quo-  
tidie ornasti bona , verum , cum etiam in magnis  
voluſiſſe ſatis ſit , Eſt praſitiſſe quantum poſſibile ,  
hoc iterum folatio erigor , ſpe præterea lactatus fal-  
li neſcia , fore , ut TU , PARENTS AESTU-  
MATICISSIME , pro humanitate TUA multis  
nominibus mihi perspecta , Eſt hunc conatum me-  
um haud ſinistra , potius tanquam ſymbolum non  
fucata ſubmiſſionis mea , excepturus ſis . Hac  
fretus atque conſirmatus , ulteriori dubitationi  
repudium mitto , pia demum faciens vota ; ut  
Deus TE incolumen ſemper ſervet omniq[ue] ma-  
ctum felicitate , quo publica rei , Eſt dignitati  
Juris atque aqui quam diutijſime conſulere  
poſſis .



Ociatatem conjugalem rite contractam id utique efficere, ut maritus facultatem nanciscatur, uxori normam præscribere, ad quam actiones suas componere sit obstricta, & legum diuinarum & humanarum evincunt effata: Quippe in hisce maritus caput uxoris, ejusdemque dominus esse perhabetur Vid. Eph. V. v. 22. Coloss. III. v. 18. I. Petr. III. a v. I. ad 6. capiti vero directio asserenda in reliqua membra, & obedientia absque conformatio[n]e actionum cum voluntate aliena concipi nequit. Spectat huc l. 14. §. I. Sol. matr. qu. dos pet. in qua lege Ulpianus maritum beneficio competentiam renunciare posse, in gratiam uxoris, negat, monetque, talem renunciationem repugnare bonis moribus, ac reverentia ab uxore marito exhibenda.

Quinam vero limites mariti potestati sint positi, & quanquam actiones alterius conjugis autoritati existant obnoxia, ex indole & scopo domestica hujus societatis petendum est. In

A 2

ipsa

ipsa prima uxoris Creatione , summus rerum moderator testatum fecit , uxorem adjutorium marito suo præstare teneri , & leges Romanæ nonnunquam eandem sociam rei , humanæ atque divinæ adpellaverunt l. 4. C. de crim. expil. hered.

## §. III.

Operarum scilicet marito exhibendarum uxori necessitas est imposita , quatenus scilicet tales operæ ad utilitatem rei familiaris tuendam aliquid faciunt . a. l. 48. pr. ff. de Oper. Lib. Num vero hac ex parte aliquid discriminis intercedat inter operas officiales & artificiales , & singularum harum operarum præstatio incumbat uxori , anceps est Doctorum opinio : Nonnulli obligationem uxoris ad officiales restrictam cupiunt , & lucrum ex artificialibus ejusdem redactum , solius uxoris emolumento cedere , sibi persuadent , alii vero distinctioni inter officiales & artificiales operas nullum constare robur asserunt , potius uxorem à que ad has ac istas exhibendas , marito devinctam esse contendunt , inde concludentes , lucra ex utraque operarum specie percepta , marito esse tribuenda , provocant que hujus sententia corroborandæ ergo ad L. 31. ff. de donat. int. vir. & uxor. ubi monetur , vescimentum , quamvis uxoris cura consecutum , tamen ad maritum pertinere , neque impedit , quod in ea re uxor tanquam lanipendia fuerit , & viri negotium procuraverit . Cui controversia decidenda inservit , uti distinctione inter operas artificiales , auxilium præbentes ei vita generi tuendo , quod sciente uxore , jam ante contractum matrimonium professus est maritus , & inter operas artificiales , ex quibus tale emolumentum non sperare licet : prioris generis operas maritus ab uxore , etiam invita suo jure exposcit , quippe cui non integrum est , consilii sui rationem mutare , ac vitæ genus mariti sui semel adprobatum , improbare , posterioris vero generis operas frustra desiderat , cum

cum uxor non sit præsumenda, consensisse in operas haud prævisas ac præstari non consuetas, maritusque excludatur a facultate exigendarum operarum insolitarum; Uxore vero desiderio mariti morem gerente, & sponte tales operas suscipiente, quasita exinde mariti, tanquam capitis familiæ, lucro cedunt.

## §. IV.

Ex quibus elucescit, irritum esse conatum uxorum, quæ pro operis modo commemoratis, maritis suis præstitis, mercedem aliquam exigunt. Quid enim causæ subesseret, maritum eo adigere, ut operam conjugis suæ in usum rei domesticæ collatam, onerosa mercede redimeret, quippe quæ illis tantum persolvi solet personis, quas nulla lege nobis ad mutuum adjutorium exhibendum, devinctas habemus.

## §. V.

Potestatis marito tribuenda effectibus merito accensendum est jus statuendi de domicilio. Redundat nimirum in maritum, cura sustentandæ uxoris ac integræ familiæ, ejus igitur merito arbitrium est, talem locum eligere, quem scopo suo felicius obtinendo convenire existimat *L. 6. ff. de Judo. L. ult. C. de incol. L. un. C. de Mulier. in quo loco.* uxor vero renitens, a judice, ut officii sui memor sit, ac maritum tanquam caput sequatur, compellenda est.

## §. VI.

Fac vero, contracto jam matrimonio, maritum relicto priori domicilio, vitam vagam amplecti, uxorem vero a tali vita genere abhorrere, nihilominus tamen, ut huic suo marito se comitem præbeat, afferere nullus dubito. Licit enim quidam in ea sint sententia, uxorem e pristino loco discedere non esse obstrictam, nec necessitate quadam constringi, una cum thori sui socio huc & illuc vagari, utun-

turque asserti sui hac ratione : quod uxor tempore conjugii initi , tale de marito suo non præsumserit , & propterea consensum ejusdem ad non cogitata extendi incongruum sit . Eorum tamen opinioni quo minus accedam , adducor ipsa indeole societatis conjugalis . Conjugium nimirum indissolubile vinculum & consortium utriusque fortunæ involvit , quare , si vel maxime uxore eo tempore , quo matrimonii fœdere sibi junxit maritum , speciatim divinare non potuerit , maritum suum , aliquando vitam vagam electurum esse , perspectum tamen eidem fuit , innumera contingere solere conjugibus , quæ antea non cogitata fuerunt , & sic in quemicunque eventum generaliter se marito obligavit , ac in genere statuendum : Quotiescumque maritus nihil contra fidem uxori datam committit , toties uxor eundem deserere non licet .

### §. VII.

Subjungere hic liceat quæstionem : an successu quodam polleat pactam , intercedente quo maritus sub auspicio initiarum nuptiarum uxor fidem fecit , se in certo aliquo loco una cum eadem perpetuo permansurum esse ? quæstionem hanc negative decidendam nonnulli ducunt , existimantes , repugnare hoc pactum bonis moribus & reverentia maritali . Sed qua ratione reverentia marito debitæ aliquid decedat , nulla conjectura assequi possum . Reverentia enim marito exhibenda , uxor æque in uno , ac diversis domicilii locis par est . Maritus tali pacto , libertati transferendi domicilii aliquid detrahit , non vero reverentia . Quibus perpensis pacto tali maritum , libertatis sua transferendi domicilii statutam fecisse statuo ; Ingenue tamen fateor , præsens pactum æque ac alia sub clausula hac tacita : Rebus sic stantibus intelligendum esse . Unde , si contigerit , maritum in loco nuptiarum contractarum necessariis vitæ subsidiis destitui , ali-

bi

bi vero honestam obviam esse conditionem, Deo & Reipublicæ inserviendi, marito non deneganda esset potestas mutandi domicilii: *a. L. 38. pr. ff. de Solut. Ludovici in Diff. de jure & jurispr. dom. C. 2. §. 13.*

## §. VIII.

Potestatem vero marito tribuendam nonnisi in sensu politico accipiendam duco, neutiquam quippe confundenda venit cum potestate tali, qualis speciatim in sensu juris Romani capitur. Unde uxores, spectata juris Romani sententia, in classem personarum alieni juris referre, merito mihi religioni duco, nec foemina, interventu matrimonii a vinculis patriæ potestatis efficitur immunis. Vid. Matthias Colerus in *Decis. Dec. 66. n. i.* quæ tamen jure Saxonico aliter sese habent, quippe hoc jure edocemur, celebratis nuptiis foeminam e patris sui exire potestate, si vel maxime eveniret, tales filiam matrimonio contracto ædibus mensaque parentis sui etiamnum frui, quorū respiquunt verba. *art. 31. L. 1. LandR.* sie sondere sich mit der Kost oder nicht. Vid. Carpz. de *Juri bus foemin. singul. Dec. 1. Pos. 2. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6.*

## §. IX.

Sed ab instituti mei ratione alienum est, prolixius investigare, quibusnam juribus maritus sit conspicuus, pluribus hoc multi persecuti sunt. Strauch *de jure mariti in uxorem. Beust de matrimonio. Stryk de operis uxorum, & plures alii.* In praesenti e re esse duco, huic quæstioni executienda operam impendere: an maritus, foeminam in minorenni constitutam aetate sibi matrimonio jungendo, succedat in locum curatoris aetatis, quo hucusque uxor sua gavisa fuit, & ita is, qui hactenus curator aetatis exitit, idem esse desinat, ac sic cura aetatis in foemina, consecutis nuptiis, extinguitur? In qua decidenda quæstione ita versari fas est, ut primo, quid juris

juris Romani , deinceps , quid juris patrii statuant placita , perpendam . Juris Romani perpensis placitis , solum matrimonium , quod olim conventione in manum viri peragebatur , sufficisse tollenda curæ atatis , arbitror , quod sane eo clarior elucecit , quando ipsam vim conventionis in manum perscrutamur . Transibant scilicet , intercedente hac conventione in manum , uxores in viri potestatem patriam , eam scilicet , quæ romanis legibus patri in liberos concessa , perveniebantque in ipsis familiam proprio jure . Uxor itaque talis , quæ in manu erat , tanquam filia , mariti , tanquam patris potestati evadebat obnoxia . Vid . Strauch in Diss . de Jure marit . in uxor . resque uxorias Sect . 3 . Thes . 14 . Huberus Pre- leß . Dig . n . 2 . de ritu nupt . Excellent . JCtus Dietericus Herr- mannus Kemmerich in Access . Instit . Jur . Civ . L . 1 . Sect . 3 . Tit . 15 . § . 9 . & haud raro talem conjugem in manu mancipioque mariti esse dicitur . Sortiebatur talis conventio in manum , scemina in sacris paternis constituta nubente , effectum ado- ptionis , eadem vero sui juris existente , arrogationis . Quem- admodum patria potestati Romana legislatione datum , ut per liberos in potestate mancipioque constitutos , sibi bona eorumdem acquirerent , sic & uxor , quæ in manu erat , æque ac liberi , potestati patria obnoxii , olim non gaudebat propriete rectum quarundam , sed omnia pleno jure statim marito tanquam patri acquirebat . Ex quo principio , quod nimis mirum marito singula per uxorem acquirantur , plures propullulant conclusiones , sicuti enim inter patres & liberos in potestate omnis exulat lis . L . 4 . n . de Judic . nec actio furti patri adversus suum filium familias datur . L . 52 . n . § . 5 . de furt . & pater exclu- ditur a facultate donandi filiæ , in potestate sua adhuc existenti L . 31 . § . 2 . ff . de Donat . ita nec inter maritum & uxorem , quam in manu , sive in potestate habet , lis ulla , nec furti actio , nec do- natio

natio consistere potest. Nec dubitandum, conjugi tali, viro, filiæ loco habitæ, denegatam fuisse testamenti faciendi facultatem, cum patriæ potestati subjecti, jure has ultimas voluntates condendi in tantum sint destituti, ut ne quidem permissu patris valide testari queant. *L. 6. pr. ff. qui test. fac. poss.* Matres familiæ conventione in manum veniebant, transibant, migrabant in mariti familiam, adeoque, sive parentis familiam, sive suam, scilicet, si sui jam juris, cum mariti commutarent familiæ, capitï tamen contingebat deminutio. Uxore itaque tali, conventione in manum in potestatem mariti, tanquam parentis concedente, non poterat non extingui autoritas sui curatoris, quem patrem habenti regulariter nec tutor nec curator detur. Vid. Grupen in *Tr. de Uxore romana. Cap. III. §. 2--12.* Stryk in *Usu mod. Pand. Lib. XXIV. Tit. 7. §. 27.* Montanus de *Tutelis Cap. 37. Reg. 2. n. 145.*

## §. X.

Sed quæ de matrimonio, per conventionem in manum celebrato, huc usque astera fuerunt, ad alia matrimonia nequaquam poterunt applicari. Nuptiæ quippe nusquam inter modos dissolvendæ curæ referuntur, adeoque homines minorenem etatem nondum egressæ, si vel maxime matrimonii contrahant foedus, curatorum auxilio reguntur, nec rei sua administrationem liberiorem consequuntur. *L. 2. n. de Minor. vigint. quinque ann. v. Martini in Jurispr. Civ. Lib. 1. Tit. 23. pr. & quod speciatim uxorem minorenem spectat, maritus arcetur prorsus a cura ejusdem suscipienda, si vel maxime eandem expeteret. §. 19. Inst. de Excus. Tut. L. 4. Cod. eod. L. 2. C. qui dare Tutor.* Vid. Perilliustris a Ber-

B

ger

ger in Philocal. fori. Resp. 18. Beneckendorff in Resid. Repe-  
tit. L. 2. pr. ff. de Reg. Jur. Sez. II. membr. 5. n. 31. Sande  
in Decis. Friesac. Lib. II. Tit. 4. Def. 1. præsumunt enim leges  
curam mariti uxori insigni cedere posse detrimento, facile  
enim posse evenire, maritum rationum reddendarum secu-  
rum, græssari ac male versari in re familiari conjugis suæ, blan-  
ditiisque vel minis, vel potestate sua id efficere, ne tam ri-  
gide cum eo, ac cum aliis curatoribus, agatur. Posset  
equidem non nemini videri, mariti arbitrio equidem reli-  
ctum esse, an velit curam conjugis suæ suscipere, neuti-  
quam vero eundem adspirantem ad curam hanc gerendam,  
repellendum esse, quia Imperator in §. 19. Inst. de Excus. Tu-  
tor. maritos excusari a cura uxorum affirmat. Sed ipsum vo-  
cabulum, excusari, nonnunquam in sensu improprio accipi,  
& etiam de iis usurpari, qui prorsus prohibentur, edocet  
L. Un. C. qui morbo. Ubi muti, surdi, coeci, furiosi, ex-  
cusationem habere dicuntur. Item L. 1. §. 3. π. de postul.  
ubi pariter a postulando excusantur quidam, qui prorsus non  
admittuntur. Tali significatu improprio imperatorem in  
modo cit. Spbo 19. Inst. de Excus. Tut. uti, verba superaddita  
monstrant; licet se immiscuerit; Excusatio enim proprie-  
tate dicta perit, consecuta immixtione, & tutor aut cura-  
tor, qui excusationem sibi competentem prætermisit, ac  
munere curæ defungi cœpit, excidit facultate, ab eodem  
munere iterum decadendi L. 17. §. 5. π. de Excus. Per ill. a  
Berger in Pos. Jur. Thes. 27. Mencken Tract. Synopt. Insti-  
tut. Juris Justin. Lib. I. Tit. 25. §. 2. Huberus in Prat. Jur. Civ.  
L. 1. Tit. 25. Inst. §. 16. Viri itaque potestas ac curatoris au-  
toritas in eadem persona concurrere non possunt. L. 66. π.  
de Rit. Nupt. Vid. Jacobi in Diff. de Curatore mulieris Sax.  
C. III.

**C. III. Thes. 3.** Wiesenbach ad L. 2. **C. qui dare Tut. vel Curat.** In tantum vero abhorrent LL. Romanæ a cura mariti, ut eundem maritum, qui prudens se immiscet curæ uxoris suæ, infamia labem contrahere statuant, æque ac illos, qui contra SCtum adultam vel pupillam sibi matrimonio jungunt, quum eadem sub sit prohibitionis ratio, ne scilicet fraus administrationis tegatur, dum uxor vel propter blanditiæ mariti, vel propter metum, rationes exigere non sustinet v. L. 7. **C. de Interd. matrim. inter pupillam & tutorem.** L. 64. §. 1. ff. de Ritu Nupt. Vinnius in Comment. ad Inst. L. I. Tit. 25. §. 19. Extendunt LL. Romanæ prohibitionem suam eosque, ut maritus ne quidem uxori suæ mente captæ, vel furiosæ curator dari queat. L. 14. ff. de Curat. furios. Vid. Perez. ad Cod. L. V. Tit. 70. n. 10. Meyer in Colleg. Jurid. Argentorat. L. XXVI. Tit. 1. n. 11. Imo, ficer nurus suæ bona tanquam Curator administrare impeditur, L. 17. **C. de Excus.**

### §. XI.

Curatoris tamen autoritatem arctioribus nonnunquam limitibus circumscribi, quando ista, quæ curæ sua demandata fuit, in matrimonium collocatur, & aliqua ex parte ipsam curam extingui, nemo diffitebitur, qui ad discrimen istud attendit, quod inter bona ad uxores spectantia intercedit, de qua re supra laudatus Bergerus in Diff. de discrimine bonorum uxoris, consulendus est. In bonis quippe dotalibus curatoris autoritas utique extinguitur, cum maritus, simul ac rei dotalis traditio peracta sit, dominium hujus rei consequatur. pr. Inst. quib. alien. lic. vel non L. 23. **C. de Jur. Dot.** L. 75. ff. de jure dotum. L. 13. §. 2. ff. de

ff. de fund. dotal. L. 21. §. 4. ff. ad municip. penes uxorem  
 tamen insimul remanet dominium substantia, dotis titu-  
 lo concessa, nuncupatur quippe dos, proprium uxoris pa-  
 trimoniu L. 3. §. 5. ff. de minor. L. Un. §. 14. C. de rei uxor.  
 act. L. 16. ff. de religios. L. 14. pr. ff. ad L. Falcid. ac dicitur  
 dotem mulieris esse. L. 75. ff. de Jur. dot. L. 71. ff. de Evid.  
 & dos respectu viri inter res alienas refertur. L. 24. §. 5. ff.  
 sol. matrim. dos qv. pct. ac ipsam rem dotalement in bonis u-  
 xoris esse, evincit L. 4. ff. de collat. moneturque, bona do-  
 talia in dominio uxoris constante matrimonio naturaliter esse  
 L. 30. pr. C. de Jur. Dot. Vid. Stryk in Diff. de jure marit. in  
 bon. uxor. c. 2. §. 35. Repugnare equidem videntur huic ipsi  
 sententia varia argumenta, & quidem primo reponi solet,  
 quod duo in solidum unius ejusdemque rei non possint esse  
 domini, secundo, dubium excitat L. 9. §. 3. ff. de Jur. dot.  
 præprimis verba, quæ ibidem deprehenduntur. Non puto  
 agi inter virum & uxor ut dominium ad eum transferatur,  
 & tertio denique scrupulus exinde movetur, quod vulgo di-  
 catur, dotem spectare ad patrimonium uxoris. Sed hisce  
 singulis dubiis facile satis fieri poterit, ad primum enim re-  
 gerendum est, duos pluresque non posse esse dominos unius  
 ejusdemque rei in solidum L. 5. §. f. ff. commodat. sed  
 hic occurunt diversa dominiorum genera, dominium enim  
 dotis penes maritum est in exercitio, penes uxorem vero  
 in quiete, tamdiu, quamdiu durat matrimonium. Unde  
 uxor constante conjugio, & alienandi & vindicandi destitui-  
 tur facultate L. 9. C. de rei vind. Secundo vero dubio ita  
 occurrendum, naturale equidem non transfire dominium in  
 maritum, quippe quod salvum ac integrum retinet uxor,  
 solummodo ex subtilitate Juris Civilis dos substantia mariti  
 partem

partem absolvit *L. 30. C. de Jur. Dot.* Hinc saltem dicitur dotem in bonis mariti esse. *L. 75. ff. de Jure Dot. L. 21. §. 4. ff. ad municip.* *L. 7. §. 3. ff. de Jur. Dot.* Tertio vero loco proposita ratio dubitandi corruit, afferendo, dotem referendam esse ad patrimonium uxoris, quoad effectus dominii naturalis, neutiquam vero quoad effectus dominii Civilis.

### §. XII.

Dominium dotis marito vindicatum gaudet utique præstantissimis effectibus, inter quos & is referendus, quod maritus sublevandorum onerum matrimonii ergo fructus integræ dotis, quos ipse cepit, lucretur, & si donationis causa uxori fructuum percipiendorum facultatem concederit, eosdem, in quantum locupletior facta est, ab eadem recuperare valeat, nomine in dotem dato. Scilicet scœnabri pecunia ex mutuo debita, utilem actionem adversus debitorem maritus nanciscitur, usurasque sortis in vicem onerum matrimonii capit. *L. 2. C. de Oblig. & Act.* Fac vero, soecrum genero in pecunia numerata dotem constituere, & donec promissa dotis quantitas persolvatur, fundos quosdam pignori dare genero suo, hunc vero generum fructus istorum fundorum percipere, num fructus percepti sorti erunt imputandi? Negativam merito amplectitur sententiam *C. XVI. X. de Usur.* subjecta hac ratione: quia frequenter detis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda. Vid. Wieszenbach *ad L. 20. C. de Jur. Dot.*

## §. XIII.

Lucratur itaque maritus fructus ex re dotali perceptos compensandorum onerum matrimonii ergo, eo successu, ut iidem ad eum irrevocabiliter spectent, quare nihil marito impedimento est, quo minus arbitratus suo utatur in hisce alienandis fructibus, & in quocunque transferendis.

## §. XIV.

Ipsis vero fructibus in dotem datis, quidnam tunc veniat fructuum nomine, expendi meretur, quod scilicet ita est capendum, quando nimurum in dotem conceditur usus-fructus ita, ut fructuum fructus lucretur maritus, & oneribus matrimonii sustinendis destinantur. *l. 4. ff. de paet. dot.* quod ita contingere potest, si cuidam pagus in dotem detur, ea tamen lege, ut quidquid pecunia, frugum, fructuum, pensionumque acceperit, in dotem convertat; tunc res ita comparata est, ut usuræ, ex tali pecunia redactæ, cedant mariti lucro, ac subeant vices fructuum marito debitorum, qua ratione feuda, & bona fideicommissio obnoxia vel potius fructus corundem singulis annis nascituri, conceduntur in dotem, ubi consummato aliquando matrimonio incumbit marito reddere rationem, de fructibus perceptis, premiumque istorum restituere. Subjungere hic licet quæstionem, num etiam in fructum sit computandus thesaurus in fundo dotali repertus? negat id *l. 7. §. 12. ff. sol. matr.* præprimis negativa hæc sententia indicatur hisce verbis: *non magis*

magis ac si thesaurus fuerit inventus: In fructum enim non computabitur, sed pars ejus dimidia restituetur, quasi in alieno inventi. Quia verba clarissimum præbent documentum, prædium dotale, respectu habito ad thesaurum, non pertinere ad maritum, ex quo ulterius consequitur, si forsitan tertius aliquis in fundo dotali thesaurum invenerit, nihil exinde lucri redundare in maritum, sed eundem integrum adipicandum arbitrio uxoris, quia est domina naturalis, eadem ratio est allusionis, constante matrimonio fundo dotali factæ, talis quippe allusio non jure fructuum censenda, sed spectat potius integra ad uxorem.

### §. XV.

Concessa itaque marito facultate fructus percipiendi ex re dotali, eidem pariter tribuendum jus est locandi prædium dotale, locare enim & alienare toto cœlo a se invicem differunt l. 39. ff. locati conducti. Quum locatio tantummodo facultatem percipiendorum fructuum ex re concedat; unde etiam Doctoribus solemne est asserre; prohibitum alienare, non excludi statim a libertate concedendæ commoditatis fructuum percipiendorum. Evincunt id exempla feudi, fideicommissi, ususfructus inalienabilis, §. 1. J. de Usu & Hab. l. 38. pr. ff. de usufr. prædii pupillaris citra decretum judicis non alienandi, vide Stryk in Diff. de Jure mariti in bona uxor. c. 2. §. 41.

### §. XVI.

Spectat vero insimul ad maritum rerum dotalium administratio, eo equidem successu, ut illo invito uxori nihil proflus

prorsus gerere , vel circa rem dotalē statuere par sit. Quin potius omnia mariti arbitrio hac ex parte permittere teneatur. Ubi tamen eundem boni patris familias officio defungi decet , ac eo præprimis respicere , ne ipsa dotis conditio deterior reddatur.

### §. XVII.

An vero fundum dotalē ita immutare poterit , ut eidem integrum sit , ex agro dotali hortum , ex Silva agrum , vel in eo piscinam facere ? Vasallo equidem licet , utique ipsam rem feudalem exstructione ædificiorum immutare , 2. Feud. 28. §. si vasallus . usufruunturii vero potestas tam arctis limitibus circumserbitur , ut nihil suscipere queat , quo res in usumfructum concessa aliam induat faciem . Sic enim ne quidem inchoatum ædificium consummare potest , etiamsi eo loco aliter uti nequeat . l. 61. ff. de usufr. & tametsi meliorem , ædificium excolendo , domini causam facturus esset , tamen id facere prohibetur , aliud quippe est tueri , quod accepit , aliud est novum facere . l. 44. ff. de usufr. Mariatum vero quod attinet , facultatemque ejus immutandi fundum totalem , eam solummodo immutationem interdictam existimo , quæ dotis conditionem deteriorem reddit . l. 6. ff. de fund. dotal. Sin vero ipsa immutatio ita sit comparata , ut fructus dotis exinde capiant incrementum ; eandem utique procedere , arbitror . l. 7. §. 13. ff. sol. matrim.

### §. XVIII.

Supra me mentionem fecisse recordor , nomine in dotem dato , maritum consequi utilem actionem adversus debitorem.

torem. Fingamus itaque , debitorem marito , cum egestate conflictante , istud nomen exsolvere , antequam solutioni destinatus dies venerit , num debitor talis liberationem consequetur , præprimis , quando eidem perspectum fuit , maritum facultatibus lapsum esse ? pronunciandum ego ducerem , debitorem plenissimam consecutum esse liberationem , ita ut nec ab uxore eo nomine in jus vocari possit . Id enim quod in diem debetur , & ante diem solvere licet , l. 20. ff. de solut. ac ipsa solutio , naturalis & legitimus modus , est tollendae obligationis l. pen. ff. de solut. At Creditoris juri exigendi debiti nihil decedit , si vel maxime non solvendo efficiatur . Ipsaque uxor vitio verte re non poterit debitori , quod ei solverit , cui ipsam & se ipsam & dotem suam creditit l. l. 2. C. ne fidejuss. dot. dent. præclusa pariter est facultas marito justo tempore solutionem exposcendi , sub hoc prætextu solutionem denegare , quasi maritus amplius non sit solvendo , quia debitoris non interest , & nemo agendo aut excipiendo auditur , si non illius interdit , potius ipsa uxor sua debet imputare negligentia , quod non majus studium posuerit in dote sua in tuto col locanda.

### §. XIX.

Fructus rei dotalis itaque quum ad maritum ceu dominum civilem spectent , prono exinde sequitur alveo , uxoris factio facultati isti fructuum percipiendorum nullum præjudicium inferri posse . Unde vanus est conatus creditorum , qui propter æ alienum ab uxore contractum executionem in bona dotalia fieri constante matrimonio desiderant , ni

C

si

si forsitan hisce creditoribus bona dotalia , pro debito antequam dotis naturam induerunt , oppignorata fuerint . Tunc enim potior creditoris causa merito esse debet , & hujus conditionem per dotis constitutionem deteriorem fieri nefas est L. 15. C. de pignor. L. 8. C. qui potior. in pign. v. Codex Fabrianus. L. V. Tit. 6. def. 6.

§. XX.

Licebit hic subsequentem proponere facti speciem : Filia sua pater quingenta legat pro dote , in eamque causam certa prædia pignori & in antichresin obligat , ea lege , ut fructus ex hisce prædiis percepti in diem usque soluti legati ad filiam pertinerent . Filia nubit legato nondum soluto , bona sua juraque omnia marito in dotem concedit , soluto post aliquot annorum intervallum obitu viri matrimonio suboritur quæsio : an pignorum fructus , quos neque mulier , neque maritus perceperat , aut in vicem fructuaria usurpæ legati mulieri deberentur , an potius mariti heredibus pro toto eo tempore , quo matrimonium stetisset ? Pronunciandum fuit , fructus omnes bonorum obligatorum a die mortis testatoris mulieri præstandos esse , non enim quingenta duntaxat , sed jura sua omnia generaliter in dotem dererat uxor , adeoque fructus quoque ipsos pignorum , quum inter cetera jura illud etiam mulieri competeret percipiendorum ex pignoribus fructuum , quamdui eidem exsolutione quingentorum nondum satisfactum erat . Proinde fructus illi , dotales potius , quasi dotis fructus videntur , atque ita mulieri , non marito debiti . Quam , si eos vir perceperisset , ab ejus heredibus judicio de dote restituendi essent ,

essent, sunt namque ex testatoris judicio debiti, non propter moram v. *Codex Fabrianus L. V. Tit. 7, def. 20.*

### §. XXI.

Maritum itaque jure dominii uti in rebus dotalibus, assertum fuit, quod tamen dominium restrictum esse, vel exinde apparet, quod alienandi facultas alias ad rerum dominos spectans, circa maritos sit summiopere circumscripta, licet non sit diffidendum, laxiorem esse eam facultatem in rebus mobilibus ac immobilibus transferendis. Res enim mobiles quod spectat, v. g. equos, servos in dotem datos, ex arbitrii sui ratione, quoconque titulo ad transferendum dominium habili, in alterum derivare potest, neglecto hoc discrimine, an servando servari queant, nec ne. *Vid. L. 21. ff. de manumiss. L. 3. C. de Jur. dot. quæ alienatio procedit, etiam invita uxore, etiamsi per modum actus inter vivos vel ultimæ voluntatis fiat.* *Vid. Wiessenbach ad L. 3. C. de Jur. dot.* Lex enim Julia alienationem prohibens, pradii sollemmodo dotalis facit mentionem, nec ullibi legitur, Justinianum prohibitione ista & res mobiles comprehendisse. Rerum vero immobilium alia prorsus est ratio, attendenda hic erit distinctio, num scilicet res immobilis interveniente estimatione, an ea non interveniente in dotem data fuerit. Posteriori casu maritus arcetur prorsus ab alienanda re, dotis titulo concessa, nec corroboratur hæc alienatio, si vel maxime uxor huic alienationi suum præbuerit consensum. *pr. I. f. quib. alien. licet vel non. L. Un. §. 15. C. de rei uxor. act.* Fœminæ enim ut plurimum contra propria commoda laborare censemur

adeoque metuendum , ne fragilitas sexus muliebris in perniciem substantiaz istius convertatur ; An non vero alienatio ista vires suas sortiatur , quando mulier consensum , alienationi semel additum , biennio præterlapsò repeatat ? de re donata propter nuptias affirmat istud *Nov. 61. C. 1.* & ex verbis. *Nov. 61. C. 1. §. 3.* *multo potius bac in dote valebunt* , eluce- scit , Imperatoris mentem esse , consensui geminato pariter robur suum constare debere in alienatione docis , alias enim his verbis usus non fuisset : *& bac in dote valebunt* , multo magis subsistit alienatio , si eadem uxoris cedat emolumen- to. V. *Sande de probib. rer. alienat. c. X. n. 9.* Si forsitan fundus sterilis permutetur cum fundo fructuofiore , porro superaddenda erit hæc limitatio : si fundus dotalis per translatio- nem universitatis in alium transeat. *L. 1. in f. ff. de fund. dot. L. 62. ff. de acquir. rer. dom.* Referenda pariter hoc alienatio , quæ ex necessitate juris proficiscitur. Necesitas juris hic subintelligitur , quæ ex ipsa conditione fundi dotalis profluit , quare , si maritus fundum dotalis communem cum alio possideat , & a socio ad divisionem provocetur , ad aliena- tionem fundi dotalis licite progressus patet. *L. 2. C. de fund. dotal.* V. *Huberus in Praelect. Dig. ad Tit. de fundo dotal. n. 1.*

## §. XXII.

*Aëstimatione vero circa fundum in dotem datum ad-*  
*hibita , nihil impedimento est marito , quo minus in eodem*  
*alienando suo arbitratu utatur , fit enim maritus rebus aësti- matis , in dotem datis emtor , & ex emto earum aëstima-*  
*nem rerum debet mulieri , & usque adeo venditio est , ut omne*  
*damnum & lucrum dotalium rerum ad maritum pertineat L.*

10.

**10. C. de jur. dot.** *L. Un. §. 9. C. de rei uxori acti.* quippe asti-  
matio hac mente videtur facta, ut res dotalis tradita perfe-  
cte transeat in dominium mariti tanquam emtorem. *L. 10.*  
*§. 5. L. 16. L. 69. §. 8. ff. de jur. dot.* Wieszenbach ad *L. 10.*  
**C. de Jur. dot.** Nec mariti arbitrio relictum, an soluto ma-  
trimonio prædium dotale pretium restituere velit, sed precise  
ei imposita est necessitas pretii exsolvendi. Venditionis  
tamen gratia factam estimationem hic subintelligo, taxatio-  
nis enim gratia facta, facultas alienandi exulat. *L. 11. ff. de*  
*fund. dot.*

**§. XXIII.**

Quum ergo maritus in rebus, dotis titulo translati, gau-  
deat dominio, & jure earundem rerum administrandarum,  
consequitur exinde, curatoris autoritatem respectu dotis  
prorius exulare atque extingui.

**§. XXIV.**

Bonorum paraphernalium eadem videri posset ratio,  
quippe horum effectus ita sunt comparati, ut curatori uxo-  
ris, in minorenni aetate constituta, nihil fere autoritatis circa  
hoc bonorum genus relictum esse, nonnemo arbitrari for-  
sitam valeret; Gaudet enim facultate maritus horum bono-  
rum administrandorum, prout appareat *ex L. 9. §. 3. ff. de*  
*Jur. dot.* Marito plerumque custodia rerum pa-  
raphernalium demandatur, atque eadem ipsi in du-  
bio eo fine traduntur, ut administrationem consequa-  
tur, & propterea actione mandati teneatur. *a. L. 95. pr. ff. ad*  
*L. Falc.* Sic cautionibus sceneratius, sive instrumentis pe-

cunia sc̄enebris, paraphernorū loco traditis, eidem integrum est, ex his cautionibus nomina a debitoribus exigere, atque actiones exercere uxoris nomine, & rem in judicium deducere, perinde ac si instructus esset mandato. Cautionum enim traditio tacitum arguit mandatum, ideoque de rato cavere nihil causæ subest. Repugnare equidem videtur *L. 21. C. de Procur.* in qua maritus de rebus uxoris citra mandatum agens, uxorem rem ratam habituram, satisdare jubetur, sed præsupponit hæc lex, nullum prorsus mandatum intercessisse, in præsenti tamen casu non omne deficit mandatum, subest mandatum tacitum, quo pollet maritus ideo, quia cautiones foeneratizæ eidem sunt traditæ, colligitur itaque hic ex instrumentorum traditione mandatum tacitum. *Vid. Wiessenbach ad L. Ult. C. de pact. conv.* Administratio itaque concreditæ est marito, unde singula ea ei incumbunt, quæ aliis administratoribus. Reddendarum ergo rationum, conficiendique inventarii necessitate est constrictus, quare si ex rationibus redditis appareat, multum damni dolo culpaque mariti esse illatum, merito id ipsum damnum ab eo resarcendum, nec ullos fructus lucratur ex paraphernis, sed extantes æque ac consumtos restituere uxori tenetur, licet non sit diffitendum, licere marito hosce fructus paraphernorum in communem matrimonii utilitatem impendere, prout id comprobat *L. f. C. de pact. conv.* Quoscumque vero fructus ex paraphernis cepit, vel capere levi culpa neglexit, vel adhuc extantes habet, vel in suam solius utilitatem collocavit, hosce conjux sua ejusdemque heredes optimo jure reposunt. An vero fructuum a marito consentiente uxore in suam solius utilitatem consumtorum repeti possit estimatio, diversæ sunt Doctorum sententia.

tia. De industrialibus id negandum esse svadere videtur L.  
45. ff. de *Ufur.* sed licet uxor permittat, ut maritus re ejus-  
dem uratur, non tamen statim exinde præsumenda est do-  
natio, potius conjectura subest, eundem credidisse, aut mu-  
tuu dedit. Donationis enim præsumtio regulariter exu-  
lat, quare nullum dubium, maritum etiam fructus ex vo-  
luntate uxoris consumtos restituere teneri, hic enim specia-  
lis consensus nullum peculiarem producit effectum, ipsa  
enim lex administratori facultatem fructuum alienandorum  
concedit L. 63. ff. de *Procur.* & nullam tamen immunitatatem  
præstandi pretii, ex fructibus redacti, præbet.

¶. 10. q. 1. In finibus supradictis etilicet quibusdam  
autem, q. 11. non satis. §. XXV. ratione, q. 12. non satis  
h. 2. Administratori jure qui utitur maritus in rebus para-  
phernalibus, ab alienandi facultate merito est excludendus,  
quum alienatio & alii administratori non sit concessa; fructus  
tamen quo minus alienet, nihil impedimenti subest, dum-  
modo instar alterius administratoris pretium pro iis persolu-  
tum resundat: Administratori enim non ideo fructuum in  
alium translatio permissa, ut pretium sibi retineat, sed ut in  
rationes referat. Idem judicium ferendum est de rebus, quæ  
servando servari nequeunt, quarum alienationem ipsa utili-  
tas conjugis suæ exposcit. Creditoribus porro conjugis suæ  
recte satisfacit, conditionem enim ejus hac exsolutione reddit  
meliorum. An vero cogi poterit maritus, ut creditoribus  
satisfaciat, investigare operæ pretium erit? Evidem ex do-  
te constante matrimonio maritus as alienum suæ conjugis  
dissolvere non tenetur, fructus enim dotis ad uxorem non  
pertinet, eademque nullum actum dominii in re dotali, ce-  
dente

dentem prajudicio mariti exercere potest, unde executio in dotem facta inanis. Alia tamen est facies paraphernorum, tenetur enim, prout modo commemoratum, maritus fructus ex paraphernis insimul in emolumentum conjugis suæ collocare, ergo & officii sui ratio versatur in eo, ut satisfaciat uxoris suæ creditoribus. Interest enim huius, ab horum exactione immunem fieri.

## §. XXVI.

Perpensis itaque hisce, quod nimurum maritus in rebus uxoris paraphernalibus gaudeat jure administrandi, posset exinde concludi, curatore atatis prorsus opus non esse, nec ejusdem aliquas partes esse, cum singula ea, quæ alias curatori peragenda incumbunt, ad mariti officium spectent. Sed contrarium elucefecit ex L. 8. C. de pac. conv. ex qua lege adparet, administrationem rerum paraphernalium maritum solummodo consequi ex voluntate conjugis suæ, vel expressa vel tacita, nihil vero juris deficiente hac voluntate spectare ad maritum, potius eundem prohiberi, invita uxore fese immiscere administrationi rerum paraphernalium; Uxor itaque si statim atque bona illata fuerint, expresse prohibuerit maritum, ne ille bonorum suorum curam agat, reservasse sibi censetur paraphernalium suorum administrationem; Reservata itaque hac administratione curator talis conjugis continuat suum officium, ac ulterius commodis ejusdem prospicere ac invigilare remanet obstrictus.

## §. XXVII.

## §. XXVII.

Spectavimus jam juris Romani sententiam, ad jus Saxonum itaque inoffenso pede progressus patet. An non itaque jure Saxonico cura aetatis tollatur per matrimonium foeminæ minorennes, opera pretium erit investigare? Ex hujus juris sententia statendum existimo, per matrimonium foeminæ minorennes extingui curam aetatis. Pluribus enim deducere jam est animus, maritum legitimum ejusdem & curatorem, & bonorum administratorem effici, & licet quidam existimant, curam mariti, in quam nubens transit mulier, non perimere curam aetatis, quum altera cura sit sexus, altera aetatis, adeoque altera per alteram non tollatur, corruit tamen eorum sententia, quando perpendimus, curam maritalem involvere administrationem bonorum, inde cura aetatis non posse amplius locum relinqu, quum curatoris aetatis officium tantummodo versetur in eo, ut defungatur administratione rerum, ad minorenem foeminam spectantium, datur enim curator bonis. Nuptiis vero a foemina minorenne celebratis, adeo jam aliquis, nimirum maritus, qui lege ita disponente rerum uxoriarum curam agit, cessat ergo officium curatoris aetatis, bonis dati. Accedit huic sententiæ B. Hornius in *Respons. Class. IV. Resp. 15.* quippe qui talem proponit casum: Mater gescit filiæ suæ curam, filia haec nondum majorenis effecta collocatur alicui in matrimonium, disceptatum itaque fuit, an modo commemorata mater continuare possit munus cura? Rectissime statuit Illustr. Hornius, arcendam esse matrem a continuanda hac cura, nisi forsitan ipsemel maritus consentiret matri mu-

D

nere

nere curæ ulterius defungi cupienti. Provocat idem Illustr. Hornius loco commemorato ad sententiam *in supremo Provo-  
cavat. Senat. Sax. in Term. byber. 1709.* latam , eandemque cum hac opinione dulcissima conspirare harmonia ostendit. Extinguitur itaque in Saxonia cura foemina minorennis nuptiis ejusdem consecutis. Rationem hujus rei in eo collo-  
eavi, quia uxor transit in curam legitimam mariti sui. Vid.  
Ill. Boehmer *Intr. in jus Digest. L. XXVI. Tit. 10. §. 4.* Adi-  
piscitur enim maritus hanc curam , nuptiis benedictione sa-  
cerdotali consummatis , cuius rei luculentissimum præbet  
indictum textus , *Land. R. L. III. Art. 45.* edifferens : *Der  
Mann ist auch Vormund seines Weibes zu Hand, als sie ihm  
getrauet wird.* Non itaque thori conjugalis ingressu demum  
maritus hujus juris , cura scilicet legitimæ gerenda sit par-  
ticeps. Clarissima enim verba *Art. 45. mod. alleg.* contrarium  
evincunt sententiam. Propugnant equidem nonnulli hanc  
opinionem , concessionem scilicet thori conjugalis demum  
largiri curæ legitimæ exercenda facultatem , & hujus suæ  
sententiaæ corroboranda ergo provocant ad verba ista , quæ  
deprehenduntur *in jure Provinc. Sax. Lib. I. Art. 45.* Und  
sie , daß Weib tritt in sein , des Mannes Recht , wenn sie  
in sein Bett tritt. Sed nec in hisce verbis quicquam præsi-  
dii repositum ita sententibus existimo , quam verba allega-  
ta de jure successionis capienda sunt , in terris enim Saxonie-  
cis thalami concessione nondum subsecuta , superstes con-  
jux a defuncti conjugis successione excluditur. Mentionem  
faciunt hujus curæ , marito assertæ , juris Sax. Provincialis va-  
rii textus , sic enim *L. I. Art. 31. L. R. dicitur* , *Wenn ein  
Mann ein Weib nimmt, so nimmt er sie in alle sein Gewehr,  
und alles ihr Gut zu rechter Vormundschaft.* Pariter *Land.  
R.*

**N. L. I. Art. 45.** so ist er doch ihr, der Frauen Vormund.  
Convenit hac ex parte cum jure Sax. Provinciali jus Sax.  
Electorale, scilicet *Constit. XV. P. 2. & Decis. Elect. XIV.*

### §. XXVIII.

Conspicua etiam est hac cura marito competens egre-  
giis suis effectibus. Uxor enim bona & mobilia, sub quibus  
comprehenduntur geradica, & immobilia citra mariti sui  
consensum alienare nequit, quod appareret ex verbis *L. N.*  
*L. I. Art. 31.* Kein Weib mag auch ihres Guts ichts ver-  
geben, ohne ihres Mannes Willen. Item *L. N. L. I. Art. 45.*  
Ein Weib mag auch ohne ihres Mannes Urlaub ihr Gut  
nicht vergeben, noch ihr eigen verkauffen. Alienatio itaque  
bonorum ad uxorem spectantium, eidem absque consensu  
mariti est interdicta, qualiacunque demum ista bona sint,  
unde parum resert, sive bona ista feudi, sive allodii jure  
eisenfantur, & ne quidem alienatio neglecto mariti con-  
sensi peracta, sustinetur, si vel maxime in pia causa favo-  
rem aut liberorum gratiam sit suscepta.

### §. XXIX.

Uxor itaque a rei immobilis alienatione peragenda ci-  
tra mariti consensum prouersus excluditur. An non vero ma-  
riti consensu accedente sustineatur, dispiciendum est? *Deci-  
sio Elect. Sax. XXIV.* tale præbet decidendi fundamentum,  
scilicet, circumspiciendum est, an uxor gaudeat alio quo-  
dam quam marito, curatore, an non. Priori casu solius  
mariti autoritas alienationem non corroborat, sed insimul

D 2                            accedat,

accedat necesse est, hujus curatoris consensus, posteriori vero casu expendendum, an causa necessaria alienationi expeditet ansam, & tunc solius mariti auctoritate interveniente, firma redditur dominii translatio a. dict. Decis. Noviss. XXIV. Sin vero haec causa necessaria deficiat, suspicioque magis sub sit, commodum mariti futurae successionis ergo respici, mariti consensus non sufficit, peculiari potius curatore opus est, alias nec maritus, nec emtor in tuto sunt collocati, emtor scilicet in id adducitur discrimen, ne ab uxore ejusque heredibus alienata revocentur, quod elucescit ex verbis Decis. Noviss. XXIV. so ist sie solchen Contract zu hinterziehen wohl befugt. Marito vero metuendum, ne defunctæ conjugi premium restituere adiatur. Mobilium vero alienatio & oppignoratio ab uxore solo interveniente mariti consensu suscipi potest. V. Celeberr. Godofr. Barth in Diss. de marito usufructuario Saxon. C. V. §. 17.

### §. XXX.

Uxor insimul est, bonorum suorum usumfructum relinquere thori sui socio. Vocabulum quippe der Normundschafft complectitur etiam suo ambitu usumfructum, quemadmodum id & ex alio speculi Saxonici loco animadvertere licet, nimirum L. I. Art. ii. Ubi dicitur, patrem liberos suos eorundemque bona in tutela, seiner Normundschafft habere, quorum tamen usumfructu sine dubio potitur. v. Per-III. Bergerus in Diss. supra laudata de discrimine bonorum uxoris §. 17.

### §. XXXI.

Marito itaque Usufructuario Saxonico omnes omnino fructus ex rebus conjugis sua provenientes cedunt, sive sint

sint fructus naturales , sive civiles , sive industriaes , sive ab ipso marito , sive ab uxore percepti . Quare si mulier ipsamet superstite marito bonis suis utatur , fruatur , ac hac ratione usumfructum marito debitum intercipiat , defuncto eo obligatur haeredibus mariti ad redditionem rationum , & restitucionem fructuum , etiam percipiendorum *a. L. 14. & 66. ff. de condic. indeb. L. 206. ff. de Reg. Jur.* quod tamen onus reddendarum rationum rite defugere poterit uxor , si doce-re par sit , bona mariti gratia fructus rerum suarum cepisse *a. L. 20. C. de Jur. d. t.* nec enim maritus in fructibus uxorius , si eos percipere noluerit , ad instar Usufructuarii , qui sola perceptione fructus lucratur , ullum jus habet quin po-tius uxorius fructus relinquens , horum lucro renunciasset cen-sendus .

### §. XXXII.

Retinet itaque maritus omnes hosce fructus , nec mor-tua uxore ad rationes reddendas de iisdem est obstrictus . Multum tamen refert , an mortua uxore naturales fructus adhuc pendentes sint , an a solo separati . Pendentes , quia pro parte fundi sunt reputandi *L. 44. π. de rei vind. & in dominio ejus , ad quem spectat fundus L. 12. §. f. π. de Usufr.* adhuc habentur sequuntur , successores immobilium accessorii loco , ergo maritus nihil juris in iisdem sibi tribuere valet , nondum enim eosdem percepit . Com-probat id *Const. Elect. Sax. XXXII. P. 3.* Fructus vero a solo separati , & a marito in vivis adhuc existente uxore percepti , remanent eidem , tametsi immatuos decerpi aut cadi jussiterit nec in horreuni redacti sint , sed in messe adhuc jaceant . *L. 13. ff. quib. mod. Usufr. amitt.* Alia vero est ratio fructuum industrialium , quippe

D 3

qui

qui etiamsi adhuc pendeant, non tamen semper rerum immobilium constituant partes, Utitur enim jus Sax. hac distinctione, an agro uxoris semen inspersum rastroque idem subactus fuerit nec ne, eo tempore, quo uxor ex hac vita decedit. Priori casu fructus maritus iucatur post obitum uxoris, in præmium scilicet laboris & culturæ. *Vid. L. N. L. II. Art. 58. & Lib. III. Art. 76. Const. Elect. Sax. XXXII. P. 3.* Posteriori vero casu maritus fructus relinquere tenetur conjugis suæ heredibus.

### §. XXXIII.

Fructuum civilium vero, quæ nam sit ratio, contenduntur, & inter Doctores quæstio movetur, num decedente ante solutionis terminum marito, uxori solum, an mariti heredibus simul pro rata temporis debeantur? De usuris fœnbris pecunia parapernalis res expedita est, quod pro rata temporis uxorem inter & mariti heredes dividenda sint. Nam sicut post clapsum terminum ad maritum procul dubio compenlandorum onerum matrimonii pertinent, ita æquum videtur, ut pro rata remporis, quo onera sustinuit, eidem quoque tribuantur. In censibus expresse dispositum est, eosdem pro rata temporis quo defunctus vixit, heredibus ejus præstari deberi, in annuis tamen redditibus peculiare quid statuitur *in P. 3. Const. Elect. Sax. XXIV.* Verba enim ibi ita se habent: *Was zur Zeit der Frauen Absterben betas get und gefällig gewesen, daß solches dem Manne bleibe, die unbetagten Zinsen und Renten aber denen Erben folgen sollen.*

### §. XXXIV.

Partes metallicas vulgo die Berg-Theile oder Ruckſe nuncupatas, nonnunquam ad uxores spectare constat, quarum occasione quæstio incidit, an & marito fructus exinde provenientes, qui

qui vulgo audiunt die Alius - Beute , jure fructuum cedant ?  
Ex juris Saxonici sententia emolumenta metalli fodinarum  
non referenda sunt inter fructus renascentes , prout edocet P.  
3. *Const. Elec. XXV.* ex quibus consequitur , proventus me-  
tallicos cedere uxori , maritumque usufructu eorundem con-  
tentum esse debere .

### §. XXXV.

Sylva vel horto jure proprietatis uxori competente ,  
maritus nec ullas arbores excindere prohibetur , nec omnes  
cädere par est . Boni enim patris familias officio defungi  
eum decet . a. §. 38. *Inst. de rer. divis.* Sylva ergo si sit cädua ,  
scilicet talis , qua in hoc habetur , ut cädatur , & succisa ex  
stirpibus iterum renascatur , maritus ligna vendere valet L.  
9. §. f. ff. de *Usufr.* a sylva tamen nimium excindenda absti-  
nendum eidem est , potius ad modum tantummodo boni pa-  
tris familias ea uti frui licet . d. L. 9. §. f. n. de *Usufr.* &  
L. 12. pr. ff. de *Usufr.* Sylva vero non cädua existente , so-  
lummodo pro necessitate sua arbores succidere valet a. L. 12.  
pr. ff. de *Usufr.* & a grandibus arboribus abstinere cogitur  
L. 10. 11. ff. de *Usufr.*

### §. XXXVI.

Maritus itaque administrandi gaudens facultate in rebus  
uxoris suæ , iisdemque utendi fruendi , adimit merito conjugi  
suæ facultatem de bonis suis circa suum consensum dispo-  
nendi . Quicquid itaque illa in rebus suis sine marito agit  
vel facit , perinde habetur , ac si non factum esset . Sed  
utrum uxori constante matrimonio integrum erit , de bonis  
immobilibus disponere , eo modo , ut nuda eorum proprie-  
tas usufructu marito relicto , ad aliam transferatur ? Affirma-  
tiva sententia quibusdam arridet , talem reddentibus suæ sen-  
tentia

tentia rationem, quod sic nihil præjudicii in maritum redinet, utpote qui de proprietate nec viva nec defuncta uxore quicquam sibi arrogare possit. L. R. L. I. Art. 31. Negativa tamen potius amplectenda est sententia, uxoribus enim in genere interdicitur legibus Saxonis potestate alienandi atque administrandi bona, insuper habitu consensu maritorum. Vid. Speculum Saxoniam L. I. Art. 31. & 45. quorsum accedit L. 8. §. 5. C. de bon. que lib. in qua lege liberi in potestate patris adhuc constituti prohibentur alienare res suas. Consensus scilicet mariti loco forma requiritur ad alienationem bonorum uxor, ita ut consensu hoc deficiente negotium ipso jure nullum declaretur, quacunque ratione uxor illud gessisse demonstretur. Vid. sæpe laud. Per. Ill. a Berger in Diff. de discrimine bonorum uxor. §. 23.

## §. XXXVII.

Interdicitur itaque in genere conjugi disponere de rebus suis citra consensum mariti, quare exinde colligendum, ne quidem delata hereditati renunciare posse conjugem in vita altero conjuge, ne abstinentia a delata hereditate immiuat jus Ususfructus, marito competentis, successio nisque eidem tributæ a. Nov. XXII. C. 33. in fin. Constit. Elect. Sax. VII. P. 3. & licet alias vidua & virgines mobilia sua, quingentorum solidorum summam non excedentia donare possint, foemina tamen nuptæ nullam donationem de stituta consensu mariti celebrare possunt Land-R. L. I. Art. 45. Pariter uxoribus interdictum censendum, pecunias suas in emtionem bonorum immobilium collocare, etiam in eo casu, quando conjuges invicem secum pactisunt, ut certa bonorum parte contentum esse oporteat maritum, quem nichilo feciis interesse possit mariti, ut pecunia potius, quam prædio

prædio inde comparato ipsemēt utatur , neque ipsi invito administratio prædii obtrudatur . Male pariter prospicit sibi debitor satisfaciens uxori exsolutione debiti sui absque consensu mariti , sicuti enim minoribus absque autoritate curatoris non recte solvitur , ut inde liberatio contingat L. 7. §. 2. ff. de Minor. §. 2. Inst. quib. alien. licet vel non sic & uxori solutione ad effectum liberationis fieri nequit . Dante igitur quietantiam uxore , in qua profitetur , sibi solutione satisfactum esse , debitori tamen hac quitantia prorsus non constitutur , nec enim ea producta liberatur ab ulteriore exactione , neque quicquam detrimenti mulier aut heredes ejus inde capiunt , debitor tamen si probare par sit , pecuniam adhuc extare , aut mulierem locupletiorem exinde factam esse , ab ulteriori exactione immunis pronunciandus , quietantia tamen mari- ti subscriptione communita ad debitorem liberandum sufficit.

### §. XXXVIII.

Ultimarum voluntatum alias maximus solet esse savor , uxores tamen in terris Saxonici existentes circumscripta utuntur liberate , siquidem tales fœminæ maritatae a testandi facultate de bonis suis excluduntur , nisi gaudeant vel bonis immobilibus , vel receptiis , aut consecutæ fuerint a maritis disponendi mortis causa facultatem . Vid. Mand. Reg. & Elect. Sax. Von Verschreibung und Obligationen der Weibs-Personen , de dato 18. Octobr. 1722. Contractus itaque ab uxoribus citra maritorum consensum celebrati adeo irriti sunt & nulli , ut licet denuo a fœmina vivo marito constituantur , aut jurejurando communiantur , tamen virtute justæ obligationis desistuantur . Conveniunt itaque tales contractus uxorum cum mutuo , a filiosfamilias intuitu

E

pecu-

pecunia numerata celebrato, quod nequidem post patris mortem & ita solutam patriam potestatem recipit vires, & invalidum manet. Feminae enim, ejusque heredes ex contractu invito marito inito, cum effectu mortuo licet marito conveniri haud possunt, cum creditor conveniendo ex tali obligatione mulierem propter mandatum Sax. modo allegatum a judicij limine repellendus sit, nisi forsitan docere queat, uxorem obligationem suam denuo post obitum mariti agnosce, aut versionem in rem evidentem uxoris ex obligatione sua profluere. Vid. supralaudatus Kemmerich in *Access. Instit. Jur. Civ. L. 1. Sect. 3. Tit. 35.* Valet itaque contractus uxoris, licet mariti consensus absuerit, si probari queat, ea, quæ ex contractu in uxorem profecta sunt, in ejus utilitam quoque versa esse, quod sane nititur insigni æquitatis ratione, mulieres enim cum aliorum damno non locupletandæ veniunt. Probanda tamen est versio hanc in rem, quare non sufficit, mulierem in instrumento confiteri, contractum utilitatem ejus respicere, vel ea, quæ accepit, in rem ejus esse versa.

### §. XXXIX.

Curae legitimæ mariti non relinquendus est locus in sc̄mina mercatrice, in quantum scilicet ista intuitu mercaturæ negotiatur. Mercatrices enim tales, quæ nomine proprio mercaturæ operem dant, non vero tantummodo marito, tanquam ministrae in negotiatione sua auxilium præbent, valide ex cambio & ex alio contractu obligantur, in quantum nimirum commerciis suis inservit, si vel maxime mariti aut aliis curatoris deficiat consensus.

### §. XL.

Evenit nonnunquam, ut maritus teneatur ex contractu, a conjugi sua celebrato, etiamsi speciatim consensum suum

siuum in hunc contractum testatum non fecerit, scilicet, obstrictus est maritus ad solvenda ea, quæ uxori sine curatore ad œconomiam credita sunt, quippe utuntur hoc jure fœminæ in negotiationibus œconomicis, ut illæ quamvis contrahant ipsæ, tamen non sed maritus obligetur. Est enim cura œconomica uxori a marito demandata, unde quicquid ad curam hanc rite peragendam pertinet, hoc insimul maritus approbare censetur. Pertinent huc quotidianæ familiae necessitates, in primis, quæ ad vietum & amictum supellecūtione que spectant! Fingamus itaque, uxorem merces quasdam ad œconomiam spectantes creditas accipere, non uxor, sed maritus ad satisfactionem est compellendus. Vid. Nobilis Dn. a Berger in *Decis. Dec. 44.* Ex quo sequitur irritum esse conatum creditorum, qui post obitum mariti contra viduam agunt ad exsolvendum debitum ex emtione rerum œconomicarum, constante matrimonio constatum, præsertim si vidua solita fuerit vivente marito ejusmodi res fide mariti sine præsenti pecunia creditas accipere, quare tales creditores a limine judicii statim repellendi sunt, nisi forsitan vidua haeres mariti existat. Vid. modo laudatus Bergerus in *Decis. Decis. 45.*

## §. XL.

Cura ergo ætatis ratione fœminæ minorennis per matrimonium extinguitur, qua extincta non potest non insimul extinqui facultas administrandi bona talis fœminæ minorennis, curatorisque autoritas excidit pristino effectu; Definit insimul id, quod forsitan curatori ætatis in compensationem suorum laborum concessum erat. Fac itaque parrem testamento constituisse, ut uxor sua post obitum siuum liborum suorum curam suscipere debeat, hac vero ad secunda vota transeunte tutores eligerentur, quibus pecunia pupillaris

custodia, & usus relinquetur, tutores vero hosce usuras consuetis ordinariis leviores pro usu pecunia pupillaris praestare, accidit deinceps, ut filia minorenns annum decimum sextum nondum egressa nubat, maritusque curatorem uxoris suæ in jus vocet, ab eodemque exposcat, ut vel ipsam sortem uxori suæ debitam, vel ordinarias usuras praestet. Pronunciandum erit pro marito, quia cessat causa dispositionis testamentaria, nimirum administratio bonorum seminæ minorenns, qua excidit curator, simul ac ea, quæ cura suæ hucusque commissa fuit, matrimonii fœdus ineat. Accedit huic sententia modo laud. Bergerus in *Decis. Decis. 51.* monetque in clytam Facult. Viteberg. eam in sententiam pronunciaisse, subjectis hisce rationibus, weil der Testator nicht so wohl auf das Alter der Kinder, als die Verwaltung der Vormundschaft das Absehen gerichtet, und in compensationem dieser den Vormündern der Genuss der Capitalien gegen 4. pro Cent gelassen, hienächst so wohl jure Civili vermöge dessen maritus legitimus administrator der paraphernalien des Weibes ist, als jure Saxonico, nach welchen per nuptias die Frau in potestatem mariti kommt, und er Usufructuarius omnium bonorum wird, des Curatoris atatis administratio, ja jure Sax. indem maritus Vormund wird, ipsa curatela sich endet.

## §. XLII.

Paucissimis adhuc monendum duco, ea quæ de cura marii allata sunt, solummodo in bonis paraphernalibus procedere in aliis vero bonis uxoris exulare. Quare in bonis receptionibus maritus hanc curam sibi asserere nequit.

T A N T U M.





188 A 6388



3

WD 18







4. 8j.  
4

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**CVRA AETATIS  
NVPTIIS FOEMINAE  
MINORENNIS EXTINCTA**

*QVAM*  
ANNVENTE  
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINE  
PRAESIDE  
**D. GOTTLIEB WILHELMO  
DINCKLERO**

IVR. SAX. ET TRACT. CVRS. PAND.  
P. P. ORD.

D. XXIV. OCTOBR. MDCCXXVII.

MODESTO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT

AVTOR RESPONDENS  
**IOANNES CHRISTIANVS AVERBACH**  
WEISENFELS.

---

LIPSIAE  
LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDII.